

82

eligerantur, idcirco Flamines quinquennales appellati; ac quamquam quidem Flaminicarum quinquennialium nullum modo succurrat exemplum, illas etiam existisse non dubito; Quidam denique ad annum creabantur, qui in vetustis Inscriptionibus Flamines, ac Flaminicæ absolute dicuntur; Atque hi quidem expleto unâ in Urbe Flaminio, non modo idem sacerdotium adipisci in aliâ potuerunt: ita C. Cornelius Minucianus Plinii Junioris familiaris, ad quem illius existant Epistolæ lib. III. ep. 9. IV. 11. & VII. 22., Bergomi primum Divi Claudii Flamen fuit, mox Mediolani Flamen Divi Trajani, quemadmodum ex veteri Inscriptione discimus apud Gruter p. CCCXCVI. 8. verum etiam ac multo magis in eâdem, in quâ antea gesserant; inde in antiquis Inscriptionibus sæpe occurrunt Flamines ITERVM vel II: unicam describere non piget ex Greg. Mayans. Epist. lib. III. p. 148. in Hispaniâ inter Sagunti rudera repertam.

C . VOCONIO . C . F .

GAL . PLACIDO . AED

IIVIRO II . FLAMINI

II . QVAESTORI

SALIORVM . MAGISTRO

Si quis itaque Abeinam Balbinam uno tempore duplici sacerdotio præditam fuisse contenderet, contra quam existimavimus, opponere dumtaxat posset conjunctionem ET, ex qua, quum inter duarum Urbium nomina collocetur, satis commode demonstrari videtur, in ambabus illam per idem tempus Flaminicam fuisse. At tamen certum est particulam ET non modo significationem copulativam habere, verum etiam disjunctivam; hæc enim eadem conjunctio in aliis Inscriptionibus occurrit, in quibus honores seu officia, quæ a memoratâ particulâ conjunguntur, eodem tempore administrari nequaquam potuerunt. Invenimus exempli causâ in Grut pag. CCCXCIII. 1. Priscum quemdam TRIBUNUM MILITUM LEG. I ADIVTR. ET. LEG. X FR. ET. LEG. III. GALLICAE, quem tamen nemo idcirco existimabit uno tempore trium Legionum Tribunum fuisse, quæ in longe distitis provinciis stationes habebant. C. item STATIVS POLLIO in aliâ veteri Inscr-